

vitiis atque honoribus tolerant, superna autem laboriosè quære-
re tantò magis diffimulant, quantò ea retribui tardiùs putant :

Duo hominibus sunt maximè necessaria, (1) conscientia quoad nos,
& (2) fama quoad alios, ut alii de nobis benè sentiant & loquan-
tur; qui enim, conscientia suæ fidens, negligit famam, crudelis
est in seipsum, *caus. 12, q. 1. c. 10.* Ergò non tantùm conscientiam
quilibet conservare debet illaefam, sed & quò pactò famam apud vi-
ros probos immaculatam perpetuò conserve, probè attendat.

E*Brietas* est magnum & periculosum vitium. Servitus hodiè non ef-
set, nisi ebrietas fuisset, prout videre est ex *distinct. 35. c. 8. & c. 9.*
v. 25. Geneseos de Noa, qui maledixit filio suo Cham, videnti ebrii
parentis pudenda. In principio generis humani ignorabatur e-
brietas. Noa primum vineam plantavit, qui dedit naturam, sed
ignoravit potentiam; ideò nec vinum suo pepercit auctori, *d. distinct.*
35. c. 8. Eo etiam fine Jus Canonicum optimè monet omnes
Clericos, ut vini abusum diligenter præcaveant, ne peccatis quasi
fenestras spontè aperiant: quoniam ebrietas mentis inducit exi-
lium, & libidinis provocat incentivum; Eo respectu non debent
alios ad æquales potus sive haustus obligare, *cap. 14. X. de vita &*
honestate Clericorum. Hoc ebrietatis crimine nullum est majus,
ex quo, ceu ex fonte, reliqua vitia & delicta scaturiunt, ut, scorta-
tio, adulterium, Sodomia, homicidia, perjurya &c. ob id ebrieta-
tem vocat Jus Canonicum omnium vitiorum fomitem, & nutri-
cem, *d. distinct. 35. can. fin.* Hinc fit, ut, quæ delicta homines sobrii
præcavere solent, per ebrietatem ignorantes committant; *caus. 15.*
q. 1. can. 16. nec mirum, quia venter, mero æstuans, facilè despu-
mat in libidinem; ubi enim ebrietas, ibi libido & furor dominan-
tur; *d. distinct. 35. c. 5.* Ideò Seneca, *libr. 12. epist. 1.* ebrietatem
vocat voluntariam quandam insaniam, per quam, pròh dolor!
Diabolus, mille fraudum artifex, facillimo negotio ab hominibus
consequitur, quæ aliàs à sobriis impetrare nequit, *Genes. 19, v. 32.*
Clarum exemplum habemus in Loth, viro pietati deditissimo,
quem Diabolus sæpissimè tentavit, ut ex tribus peccatis proposi-
tis sibi eligeret minimum, (1) ut se semel saltem inebriaret; vel
(2) ut cum vicini uxore adulterium committeret; vel (3) ut vici-
num suum interficeret. Tandem à Diaboli persuasionibus vi-
ctus, imprudenter consensit in ebrietatem, quam ex tribus istis

R

pecca-